



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



18
COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO III.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI IV.

De

VERBO JUSTIFI-
CARE,

Proposita

In inclutâ Electorali Academiâ VVittebergenſi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito.


R E S P O N D E N T E

M. PHILIPPO REUTZIO

Stetino-Pomerano.

Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 19. Julij.



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.

COLLEGIUM SECUNDUM
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO III.
CONTINENS
ARTICULUM IV.
VERBO JUSTI
C. A. R. E.
Inclusa Brevi Academiae Vitebergensis
P. R. A. E. S. I. D. E.
JACOBO MARTINI S. Th.
D. & Præf. Phil. Primario, Facult. Theol.
Seniore ac Temp. Acad. respecto.
RESPONDENTE
M. PHILIPPO RENTZIO
Senio. Honorario.
Habitante in Anstoria Collegii Vitebergensis
Ad Vitis. Julij.
WITTEBERGÆ.
Typis Hædeman Salomonis AVERBACH.
ANNO M. DC. XXIX.





Continuatio.

Actenus proposuimus ea, quæ pro defensione *ἀπολογία* nostri articuli sufficiant: Jesuitarum nunc proprias hypothesas, quibus isti hoc in negotio vel maximè innituntur, indeque ortas inter nos & illos controversias, paulò expendemus accuratius.

T H E S E S.

I. Controversia, quam nobis hoc in articulo movent Jesuitæ, partim est de terminis, partim de re ipsâ.

II. Termini sunt: *Justificatio: gratia: gratis &c.* De prioribus, hæc disputatione, de posterioribus in sequente agemus.

III. Nomen *Justificationis*, sicut & verba ipsa *justificare & justificari* quod attinet, à prophanis autoribus non legi usurpata, proindeque solius scripturæ sacræ propria ac peculiaria esse facile concedimus Jesuitis, *Costero in Enchirid. tract. 6. de Justif. & Bellarmino. lib. 2. de Justif. cap. 3.*

IV. Hoc verò posito ac concessio, concedant utique Jesuitæ hoc consequens: de vocis hujus significatione non è Grammaticorum regulis, & analogia latinæ compositionis, sed ipsius Spiritus Sancti Etymologia judicandum esse.

V. Statim ergò in frontispicio impingunt Jesuitæ, sibi que contradicunt, & contrafaciunt, quando mordicè Etymo inhaerent, à justo & faciendo. Unde comparantes cum aliis, *calefacere, frigesacere*, dicunt eo propriè mutationem significari ad justitiam: in omnibus autem mutationibus, aliquid dari aetione, & accipi passione: nomen fieri à termino ad quem tenditur, id est; formâ vel qualitate, quæ acquiritur, deserta omisâ que

priore. Hæc disertè Costerus d. l. annotavit paulò fufius, quàm
Contarenus, Delphinus & Becanus.

VI. Id verò non est ex scripturæ fundamentis, sed partim
ex Grammaticis, partim quoque Physicis, sicq; communibus
rationibus extra scripturam disputare: Ergò Costerus sibi con-
tradicit. Sic enim argumentor: Qui terminus, ejusque usus
est scripturæ proprius & peculiaris, adeò, ut in nullis prophanis
autoribus, neque Cicerone, neque Terentio, &c. (ut addit
Bellarminus) usurpatus legatur; is neque potest, neque debet
ex communi Grammatica & Physica ratione dijudicari: Atqui
Costerus & cæteri Jesuitæ disertè docent, *justificationis* vocem,
esse terminum scripturæ proprium ac peculiarem, neque ab ul-
lo profano autore usurpatum legi: Ergò concedant quoque,
illum neque ex communi Grammatica & Physica ratione di-
judicandum esse. Hoc verò non faciunt, ut probatum: Ergo
sibi contradicunt.

VII. Coeterùm *Becanus*, in *disp. de Justif. cathol. cap. 1. th. 1.* scri-
bit: *Justificare in sacra scriptura tripliciter usurpatur. I. Ut sit idem, quod
justum facere, Rom. 4. v. 5. Credenti in eum, qui justificat
impium. II. Ut sit idem, quod justiore facere, Ecclesiastici 18. v. 22.
Ne verearis usq; ad mortem justificari. Jacob. 2. v. 24.
Videtis quod ex operibus justificetur homo, & non
ex fide tantum. Apoc. 22. v. 11. Qui justus est, justifi-
cetur adhuc. III. Ut sit idem, quod declarare seu pronunciare
aliquem justum, juxta Proverb. 17. vers. 15. Qui justificat im-
pium, &c.*

VIII. Hinc fit, (addit idem *Becanus th. 2.*) ut justificatio et-
iam sumatur tribus modis. I. Pro acquisitione justitiæ. II. Pro ac-
tione justitiæ. III. Pro declaratione justitiæ.

IX. Ex tribus hæcceptionibus, in hoc negotio & con-
troverfia pontificii sumunt justificationem primo & secundo
modo; proptereaq; justificationem duplicem faciunt, primam,
de qua, dicente *Becano*, loquitur *Paulus*, quæque consistit in
acquisitione

acquifitione iuftitiæ; Secundam, de qua, docente eodem, Jacobus agit, quæque in augmento iuftitiæ confiftit. Et porro rem perfpicuè explicat, tract. 4. cap. 2. de Iuftificatione, inquiens: Mutatio illa, qua homo ex ftatu peccati transfertur in ftatum gratiæ, vocatur apud Theologos Iuftificatio: ficut mutatio, qua quis ex aegroto fit fanus, dicitur fanatio, & qua ex frigido calidus, calefactio.

X. Eadem Cofteri mens eft in Enehiridio, quando loco jam allegato fic fcribit: Iuftificatio propriè mutationem fignificat ad iuftitiam: Iuftificare & iuftum facere, feu iuftitiam dare, iuftificari, iuftum fieri, feu iuftitiam accipere: ficut calefactio eft motus ad calorem, calefacere, calidum facere, feu calorem dare; calefieri, calidum fieri, calorem accipere &c. Sic reliqui Iefuitæ ad unum omnes ftatuunt: ut fatis mirari non poffimus impudentiam Bellar. lib. 2. c. 3. de Iuftificatione, calumniari Chemnitium, quod in exam. Trid. Concil. fcribit: Pontificios ex compofitione vocis interpretationem nominis eruere.

XI. Quid enim aliud faciunt allegati Iefuitæ: quam quod doceant de vocabulo iuftificationis iudicandum effe tum ex ratione compofitionis, tum ex fimilibus à naturâ petitis, ita ut iuftificare, ob compofitionem nihil fit aliud, quàm iuftum facere, & iuftificari iuftum fieri, ficut calefacere, eft calidum facere, & califieri calidum fieri: proindeque merito à nobis hoc nomine reprehenduntur, & contradictionis arguuntur.

XII. Orthodoxi ftatuimus, ut primaria & præcipua fignificatio verbi Iuftificare, in fcriptura & extra eam, in Latina, Græca, & Hæbreæ lingua eft, vel aliquem abfolvere, & iuftum declarare: vel omnino ad fignificationem hanc quàm proximè accedentem habet: Sic in præfenti negotio & articulo, Iuftificari coram Deo fignificare nihil aliud, quam hominem peccatorem coram tribunali iudicii divini conftitutum, & ad thronum gratiæ confugientem, à culpâ fimul & pœnâ abfolvi, adeoque iuftum reputari & pronuciari.

XIII. Prius, nempe primariam fignificationem, in tribus cardinalibus linguis effe, abfolvere & iuftum declarare, vel proximè ad illam accedere, probatu non adeo erit difficile.

XIV. Latinum quidem, ut diximus, apud prophanos auctores non legitur, unde etiam in Lexicis nulla ejus mentio injicitur: tantum ergo Biblicum & Ecclefiafticum eft.

XV. Quare si neque verbum Hebræum, neque Græcum, primaria sua potestate significat *infusionem justitiæ*, sed potius aliquem *absolvere & justum pronunciare*, vel proximè suâ significatione ad hanc accedit; utiq; latino quoque verbo, per quod utrumque redditur, non illa, sed hæc tribuenda est significatio. Prius est certum inductione exemplorum.

XVI. Hebræi ut verborum suorum varias significationes distinguerent, quamlibet radicem per quatuor conjugationes variarunt. Quare licet verbum & ratio צדק Tzadak in omnibus conjugationibus exponatur verbo latino *justificare*, diversas tamen obtinet significationes: Sed in nulla illam Papisticam.

XVII. In prima enim conjugatione Kal significat *justitiam habere*, sive *justum esse positivè*, ut Job. 33. v. 12. צדק-לך non justus fuisti. cap. 35. v. 7. Si צדק justus fueris. Psalm. 19. vers. 10. Iudicia Dei veritas justificata sunt pariter, id est, *justa*. Sic Psalm. 51. v. 6. וְצדק justus sis cum locutus fueris. Psalm. 143. v. 2. Non intres in iudicium, quia coram te non erit justus omnis vivens. In Hebræo est כִּי לֹא יִצְדַק Quia non justus erit.

XVIII. In secunda Conjugatione Piel notat in genere *justitiam alicui irrogare*, sive *tribuere*, Job. 32. v. 2. Iratus est furor ejus על-צדק super *justificare ipsum animam suam*, id est, eo quod justificaret seipsum. & cap. 33. v. 32. Si sint sermones, responde mihi: loquere, quia volui צדק justificare te. Jer. 3. v. 11. צדקתי justificavi animam suam refractaria Israel. Ezech. 16. v. 51. וְתִצְדְּקִי & justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis. Et v. 52. תִּצְדְּקִי justificatae sunt (sorores tuæ) præ te.

XIX. In tertia conjugatione Hiphil significationem habet forensam, & idem est, quod *absolvere, justum pronunciare*. Nam צדק ubique significat *aliquem habere justum, & insontem*, sive universaliter, sive particulariter, sive in foro, sive extra forum, sive verè, (quæ justificatio mandatur) sive falsò, (quæ prohibetur & damnatur) sive de Deo, sive de creaturis dicatur. Quemadmodum contrarium הרשע malificare, non significat ex bono facere malum, sed *malum vel reum aliquem habere, seu condemnare*.

XX. Quod itidem inductione exemplorum probatur. Exod. 23. v. 7. *Neque innocentem & justum occides: quia פִּיטְסָן-נִי non justificabo impium, hoc est, non justum censebo, non à crimine absolvam.* Deuteron. 25. v. 1. *Si fuerit lis inter aliquos, & accesserint ad judicem, & judicaverint eos: וְיִצְדִּיקוּ & justificabunt justum, & impium impietatis damnabunt.* 2. Sam. 15. v. 4. *Quis ponat me judicem in terra, & ad me veniat omnis vir, cui sit causa & iudicium וְיִצְדִּיקוּ & justificem, sive ut Pagninus vertit, justitiam faciam ei, jus ei dicam, Lutherus, daß ich ihm zum rechten helffe: Nam, licet indifferentè hîc sumi videatur verbum hoc, in bonam & malam partem, ut significet, *absolvere innocentes, & condemnare impios, magis tamen in bonam partem: Quod Lutherus sua versione inducere voluit.* 1. Reg. 8. v. 2. *Iustificansq; justum, & retribuens ei secundum justitiam suam.* Psalm. 82. v. 3. *Et pauperem justificat, id est, absolvit.* Prov. 17. v. 15. *Qui justificat (id est, absolvit) impium, & condemnat justum, (sive justum facit impium, ut in Hebræo est) abominatio iehovæ sunt etiam ambo ipsi.* Esai. 5. v. 23. *Qui justificant impium propter munera, hoc est, justum pronunciant & absolvunt.* Et sap. 50. v. 8. *Iuxta est, qui justificat me: id est, qui me justum pronunciat, & publicè meam causam defendit.**

XXI. In quarta Conjugatione Hithphael significat δικαιολογῶν, hoc est, *bonitatem cause argumentis sive testimonis asserre.* Sic verbum hoc usurpatum legimus, Gen. 44. v. 16. & quidem tantum: & (in) quo פִּיטְסָנוּ justificabimur, sive justificabimus nos.

XXII. Ex hac ergo inductione perfectissima, constat Papanam hujus verbi significationem, Hebrææ linguæ planè esse ignotam: cum in nulla conjugatione *justificare* significet infundere, aut ex impio, introducendo & infundendo habitualiter justitiam, facere pium, aut ex injusto justum.

XXIII. Nec est, quod quis nobis Grammaticorum regulam objiciat: *Verba in Kal neutra, in Hiphil activa, vim agendi habere, & exponi per facere.* Nam non negamus actionem verbo huic פִּיטְסָן tribuendam esse. Significat n. justificare; h. e. justitiã alteri tribuere: Verum non omnis actio est statim effectio, vel alicujus novi, quod antea non inierat, in subjectum introductio. Sensus ergo

ergo regulæ est: Qualitatem verbi primæ conjugationis inter-
tia tribui alteri, vel reipsa, vel permissione tantum, sive iudicio,
sive asseveratione & declaratione alterius, Chemnit. par. 2. loc. p.
631. 632. ut *רשע* impius fuit, *הרשיע*. In Hiphil significet *pro im-
pio declarare*, sive condemnare: non impium facere, impieta-
tem, sive injustitiam infundendo. Sic *כזב* mentitus est, in
Hiphil *הכזיב* significat mendacem facere, non mendacium
in illo producendo, seu mendacium arguendo. Notat ergo a-
liquem pro mendace pronuntiare. Eadem planè ratio est hujus
verbi *קרא* in Conjugatione *Kal* significat justum esse, in Hiphil
העריק significat, non justitiam in alterum introducere, vel in-
fundere; sed justum verbis pronuntiare, reputare, absolvere.

XXIV. Adde, quod etiam in aliis linguis usitatum est, ut,
quando alteri aliquid tribuitur, verbis & iudicio alterius, tunc
is, cui tribuitur id, quod tribuitur, factus esse dicatur. Sic u-
sitatissimæ phrasæ sunt apud nos Germanos, *einen From ma-
chen / einen zum Schelm machen / zum Lügner machen / zum Diebe
machen* / quibus sanè non dicitur infundi probitas, scelus, men-
dacium, furtum, &c. Sed quod mendacii, convincatur, publi-
cè pro mendace, pro scelesto, pro fure pronuncietur. Sic a-
pud Latinos frequentes sunt phrasæ: *Virtutem dare vel tribuere a-
licui*: significantes non realem, sed verbalem duntaxat attri-
butionem. Nam illi virtus tribui dicitur, qui pro virtute præ-
dito habetur: sive illam revera in se habeat, sive non.

XXV. Eadem quoque est ratio significationis hujus ver-
bi, in Conjugatione Hiphil: Idque adeò certum est, ut vel
ipse Bellarminus ex semisse illud concedere cogatur, quando
lib. 2. de justit. cap. 3. infit. קרא & העריק, propriè nihil aliud esse
nisi justum facere: sed quia potest aliquis fieri justus, tum intrinsecè per a-
dceptionem justitiæ, tum extrinsecè per declarationem, unde eandem vo-
cem ad varia significata traduci.

XXVI. Existimat ergo Bellarminus hujus verbi significa-
tionem esse duplicem: propriam, qua sit idem, quod justitiam
realiter infundere: & minus propriam sive secundariam, qua
significet, infusam vel inhærentem declarare. Verùm distinctio
illa

illa omni caret ratione, & autoritate. Quare eadem facilitate rejicitur, quâ adfertur. Nullum producet Jesuita locum ex universo codice Biblico, in quo verbum hoc justitiæ infusionem significet, nedum quod hæc ejus primaria ac propria significatio esse possit, vel debeat, ut mox videbimus.

XXVII. Quare observandum est, quod de justitia Evangelica duplici modo loquatur scriptura Hebræa. 1. Respectu nostri: atque tum utatur verbo פָּרַטְוּ in tertia conjugatione, significante justitiam imputativam. 2. Respectu Christi Mediatoris: atque tum utatur verbo פָּרַט in Kal, sive prima conjugatione, denotante justitiam positivam in ipso Christo. Atque duo isti loquendi modi ac significationes in versionibus latinis notantur distinctis hisce terminis: *à Domino, sive coram Domino & in Domino.* Quando igitur in versione Latina, cum Hebræo textu rectè consentiente, usurpatur hic terminus, *à vel coram Domino*, tunc in Hebræo est verbum *Iustificare* in Conjugatione Hiphil, & significat, nos justos pronunciari & absolvi. Quando autem legitur, *justificari in Domino*, tunc Hebræum verbum est primæ Conjugationis Kal, significatq; nos positivè justos esse, non quidem in nobis, sed in Domino. Ipse enim nobis justitia factus dicitur, *1. Cor. 1. v. 30.* Hinc quoque in prima hac significatione non tantum neutraliter, sed etiam activè sumitur, ut *Job. 33. v. 1. & 12. Hoc non justificasti, daran hastu nicht recht gerhan.*

XXVIII. Contra verissima hæc & immota fundamenta objicit Bellarminus, *lib. 2. de justif. cap. 3.* quædam scripturæ dicta, quibus probare conatur, verbum פָּרַטְוּ propriè nihil aliud significare, quàm *justum facere, justitiam infundendo.* Primum est *Daniel. cap. 12. v. 3. Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Illud, addit, *QVI ad justitiam erudiunt, in Hebræo פָּרַטְוּ id est, justificantes, sive qui justificant.* Et post pauca: *neq; multum prodest adversarius, quod aliqui eorum dicunt, Daniele loqui de ministris Evangelii, qui annuntiant remissionem peccatorum per fidem Christi, quasi iustificare sit indulgentiam predicare.* Nam etiam hoc modo iustificare,

B

non

non erit forense vocabulum. &c. Non enim qui predicat Evangelium, pronunciat homines esse justos more judicis, sed aperit viam ad justificationem, & eo modo causa est, ut auditores justii efficiantur ex injustis.

XXIX. Verum fallitur Bellarminus translatione: Ubi distinguere debebat inter simplicem versionem, qua verbum verbo redditur, & inter paraphrasin, qua interdum interpres sensum exprimere sibi videtur, & vero saepius decipitur & errat. Hebraum itaque verbum, quando redditur, ad justitiam erudiunt non simpliciter vertitur, sed circumscriptur. Simpliciter verti debuisset, *justificare*, uti etiam vertit Pagninus, *justificantes multas*. Hoc modo quando translatio facta est, distinguendum rursus est, inter *justificationem* & *justificationis modum*. Verbum Hebraum tantum significat, quod Doctores & ministri Ecclesiae justificant: & modum tacet: Quem vero Paraphrasis haecce (que ad justitiam erudiunt) addit? Quare plus est in paraphrasi, quam in fonte & fundamentali lingua.

XXX. His ita explicatis tenendum porro est, quod justificatio duplici modo possit considerari, alio, ut praestatur a causa principali: alio modo ut a causa subordinata & ministeriali. Illo modo solus Deus justificat, hoc est, a peccatis peccatorem resipiscentem absolvit: Hoc vero modo etiam Ministri & Doctores Ecclesiae dicuntur justificare, hoc est, a peccatis absolvere. Quemadmodum enim Deus proprie ligat & absolvit, retinet & remittit peccata; & nihilominus ministri quoque & Doctores Ecclesiae dicuntur ligare & absolvere, retinere & remittere peccata, nempe ut legati Christi, 2. Cor. 5. vers. 19. & 20. Matth. 18. Iohan. 20. v. 23. Sic quoque solus Deus *περὶ τῶν* quidem justificat: Attamen & ministri Ecclesiae justificare nomine Christi, hoc est, justos pronunciare, annunciare remissionem peccatorum, peccata solvere & remittere hic dicuntur a Propheta. Haud secus ac Paulus scribit ad suum Timotheum, Epist. 1. cap. 4. vers. ultimo: *Te ipsum Salvabis & auditores tuos*. Sane salvare homines est solus Dei proprium: nihilominus & Timotheo, tanquam ministro, tribuitur.

XXXI. Nulla itaque necessitas nos cogit, hic novam verbo *δικαιοσύνη* significationem affingere, cum propria & genuina
opti-

oprimè stare, & retineri possit ac debeat. Pastores enim & Ecclesie ministri multos verè justificant, non quod iis infundat justitiam, sed quia illos, ut ministri Christi, justos declarant.

XXXII. Quare licet Lutherus translationem vulgatam in Germanica sua versione sequi videatur: So viel zur Gerechtigkeits weisen: non tamen planè idem dicit quod vulgata: habet hæc: *Qui multos erudiunt ad justitiam*: Lutherus qui multos ducunt ad justitiam: Longè verò aliud est erudire & ducere ad justitiam: cum hoc etiam alio modo, quàm erudiendo fieri queat. Quare Lutherus sua versione nequaquam indicat, Hebræi verbi significationem hîc esse, *predicare Evangelium sive indulgentiam*: & sic prædicando justificare: sed complectitur totum ministerium, quo Pastores ad justitiam ducunt impios: id quod non tantùm fit docendo, sed etiam, & quidem præcipuè, à peccatis absolvendo. Hi enim, quibus peccata remittuntur, verè ad justitiam ducuntur, & sic justificantur.

XXXIII. Secundum locum, quem pro suâ opinione allegat Bellarminus, est Esai. 53. v. 11. *In scientia sua justificabit ipse servus meus multos, & iniquitates ipsorum portabit.*

XXXIV. In hoc dicto quinque urget Jesuita. 1. Verbum Hebræum conjugationis *Hiphil*. 2. Vocem scientiæ. 3. Vocem justitiam. 4. Vocem servi, & 5. modum quo Christus justificat, nempe portando iniquitates nostras.

XXXV. In primo committit Jesuita petitionem principii. Quandoquidem verbi *פִּיְהִל* derivationem in *Hiphil* ejusmodi significationem, quam fingunt Jesuitæ, nullibi habere, & regulam illam Grammaticorum, de verbis tertiæ conjugationis, quod tribuant vel infundant qualitatem alteri, universaliter veram non esse, satis demonstratum est. Si enim iudex injustus justificando impium, ipsi infunderet justitiæ qualitatem, non posset esse abominatio coram Deo. *Prov. 17. v. 15.* neque Deus talem æternæ damnationi adjudicaret. *Esai. 5. v. 23.*

XXXVI. In secundo committitur phraseos fallacia. Nam Hebræum *יָדָע* non vertendum est, ut vult Bellarm. *doctrinâ suâ, sed cognitione sui.* Nam *יָדָע* significat cognoscere, agnoscere, & quidem non tantùm *שְׂוֹעֲתֵינוּ*, sed *וְעֲוֹנוֹתֵינוּ*

eam aliqua efficacia, nempe efficacem notitiam, confirmatam sensu & experientia, itemq; effectum, qui notitiam illam comitatur, ut Psal. l.v. ult. *Dominus novit viam justorum*: id est, adjuvat, approbat, dirigit. Psalm. 51. vers. 1. *Infirmi- tatem meam agnosco*, id est, sentio Dei justis iram non sine magna animi consternatione. Job. 29. v. 25. *Scio quod Redemptor meus vivit*: id est, hac tota fide ac spe me erigo. Num. 10. v. 31. Exod. 33. v. 12 Exod. 14. 4. *Scietq; Ægyptus, quod sim Dominus &c.* Quodq; in specie hoc loco significet cognitionem, sive scientiam practicam, conjunctam cum fiducia, contextus satis testatur. Nam *agnoscere*, quod Messias pro nobis factus sit servus, & nos cognitione sui justificet, nihil est aliud, quam firma fiducia in illius passione ac morte recumbere. Loquitur ergo vocabulum illud de salvifica cognitione, in qua consistit vita aeterna Job. 17. v. 3. proindeq; homo justificatur. Quare rectè monent nonnulli, non vertendum esse *in scientia sua*: sed, *in scientia SVI*; ut ita *γνώσις* non ad Christum, sed ad cognoscentes fideles referatur, & sic eo manifestius sit, non per *doctrinam Christi*, sed per *cognitionem fidelium* vocem Hebraeam reddendam esse. Hic ergo est sensus: Messias ipse justus existens, cognitione illorum, id est, in fide, & per fidem justificabit multos, sive multos pronuntiabit justos, & à pœnis absolvet. Hunc enim in modum dictum hoc expressit Apostolus Paulus, Rom. 3. v. 26. sic scribens: ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu.

XXXVII. In tertio, quarto, & quinto confundit Bellarminus causam meritoriam, & causam formalem justificationis. Non una, sed utraq; in dicto hoc exprimitur, sed distinctè. Causa formalis justificationis continetur phrasi *in cognitione sui justificabit multos*, hoc est, in fiduciali & salvifica sui cognitione multos justos pronuntiabit: Causa meritoria subsequentibus verbis: *Et iniquitates ipsorum portabit*. Illis enim passio Christi intelligitur: quæ justificationis causa meritoria est.

XXXVIII. Perperam ergo duas illas voces *Servus & justus* ad modum justificandi refert Jesuita, cum ad descriptionem efficientis pertineant. Et, quod notandum est, proximè conjungit Propheta illas duas causas, & per meritoriam reddit rationem

tionem formalis. Quando enim dicit: *Quia iniquitates ipsorum portavit*, reddit rationem & causam, cur notitiæ illi tribuatur justificatio: quia nimirum Messiam apprehendit, qui portavit peccata mundi super ligno in corpore suo, 1. Pet. 2. v. 24. quod proprium est non solum notitiæ, sed fidei, in quantum fiducia est. Unde rursus constat & intelligitur, per notitiam hanc non nudam *νοῦν* significari: Et falsa est explicatio, quæ vocem *Servi* exponit, inquiens; *Hæc vox (servus,) significat, Christum servisse Deo Patri in opere justificationis, & per hoc justificasse homines non judicando, sed ministrando.* Quasi verò *justum* pronunciare, & à peccatis absolvere propter salvificam cognitionem Christi, & deinde *ministrare* sint opposita. Nequaquam sunt. *Ministrare* est genus, quod suas distinctas habet species & partes. Non tantum ministravit Deo Christus, quando pro peccatis hominum passus & mortuus est; Sed etiam quando ex sinu æterni patris Evangelium nobis revelavit, per fidem justificavit, ministerium verbi instituit, in quo & per quod peccata quotidie remittuntur, & sic homines justificantur. Quare vocabulum *servus*, ut diximus, pertinet ad conditionem & descriptionem causæ efficientis, & nequaquam ad modum justificationis.

XXXIX. Idem de altero, nempe de vocabulo *justus* statuendum est. *Justus* debuit esse Christus, sive hæc causa: aliàs non potuisset justitiam nobis promereri, nedum imputare. Significari ergo voce illa, ut blaterat Bellarminus, *Christum non solum docendo, sed etiam justè operando, ac nobis justitiam suam impertiendo justificare*; Verba sunt: Concedere quidem possumus, (nempe verbo *justificare* latè sumto, ut actus præcedentes, vel etiam concomitantes, ut sunt docere, arguere peccata, hortari ad pœnitentiam &c. includat, cum aliàs propriè & distinctè loquendo *Justificatio* tantum dicat hunc actum, nempe justitiæ Christi imputationem) Christum non solum docendo, sed etiam justè operando justificare, verum illud operari statim esse, justitiam habitualement nobis infundere, nulla cogit necessitas ut credamus. Quando quidem operatus est nobis justitiam, se legi divinæ submitendo, illam implendo, patièdo, morièdo, & sic pro omnium hominum delictis satisfaciendo: Operatur etiam

iam adhuc per Verbum & Sacramenta, nobis suam justitiam imputando, peccata remittendo, & hæredes vitæ æternæ nos instituendo.

XL. Quare etiam concedere possumus, quod dicit Bellarminus: *Christum ita operando justificare, ut nobis justitiam SUAM impertiat*: Si nempe verba intelligantur, ut sonant. Nam si Christus operando nobis *Suam* impertit justitiam, non novam in nobis operatur & producit justificando. Illa enim non esset sua, non esset Christi, sed nostra justitia, Suam autem justitiam Christus non potest alio modo impertire, quàm per fidem: quando nos per fidem, justitiam acquisitam, apprehendentem, justificat, & sic justos pronuntiat.

LXI. Quod attinet dictum Petri 1. Epist. 2. v. 24. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiam vivamus, cujus livore sanati sumus*. Concedimus quidem Apostolum alludere ad locum illum Esaiæ: Sed applicare ad suum institutum, quo nihil agit de justificatione, sed hortatur ad novam obedientiam, ad ducendam ejusmodi vitam, quæ genituræ respondeat, proindeq; ad exemplum, à CHRISTO in statu exinanitionis, patientia, obedientia, charitate, passione ac morte nobis exhibitum & relictum, imitandum, ejusq; vestigia insequenda, ut totus contextus demonstrat. Ut ita Apostolus respiciat quidem ad dictum Esaiæ, verum non ad totum, sed tantum ad ultima verba, causam meritoriam exponentia. Nihil ergo pro sua opinione ex textu Hebræo allegare possunt Jesuitæ.

XLII. Verbum Græcum *δικαίων*, etiam apud prophanos autores Græcos reperitur usitatum in triplici significatione. 1. *Neutrliter*. 2. *Activè*. 3. *Passivè*.

XLIII. *Neutrliter* idem significat, quod justum putare, arbitrari, existimare, censere: *δικαίωσι γῆραι*, putavit, sive justum esse arbitratu est, existimavit, ducere vel ducendam esse uxorem. Rursum *δικαίωσιν Αἰγύπιοι ἴσκειν*, justum, equum censent, judicant Ægyptii sacrificare. Sic Thucid. lib. 2. *δικαίωντες τοῖς αὐτοῖς ἀμυνέσθαι*. Item censeo, judico, Thucid. lib. 4. *εἶχε δὲ ἡ ἀλήθεια, πρὸς τὴν*
δοπο

δοξαδεως μαλλον η ci Αθηναίοι εδικαιουν; Ac certè magis verum
erat, quod de defectione dicebatur, quam Athenienses censerent.

XLIV. *Active* usurpatum significat *condemnare*, apud Sui-
dam: uti etiam hanc significationem Thucid. habet δικαιουντες
lib. 3. υμας δ αυτες μαλλον δικαιουντες: Vos autem ipsos magis
condemnantes. Item realiter punire & supplicio afficere, apud
Hesychium & Pollucem. Hinc δικη quandoque *penam* signifi-
cat. Et Suidas δικαιουντες, exponit per δικη των γαλον. Quam
etiam significationem in nostra vernacula habet lingua, qua
dicimus. Einen armen Sünder richten / rechtfertigen / id est, de
illo supplicium sumere.

XLV. *Passive*, sed in bonam partem, quando accipitur,
tunc ut apud Aristot. lib. 5. Ethic. δικαιουντες dicitur, cui suum tri-
buitur, dem Recht geschicht. Unde conjicitur non alienum esse
ab activo δικαιουν, ut significet alicui suum tribuere, hoc est, in
foro justum declarare, proindeq; a crimine absolvere.

XLVI. Plures significationes verbi hujus apud profanos
autores non reperiuntur: Inter quas verò quia Papistica non
inveniatur: ut δικαιουν idem sit, quod *justitiam infundere*, certum
est linguam Græcam hanc interpretationem planè ignorare.

LXVII. Contrà verò significationes hæ & acceptiones, ad
Theologicam justificandi interpretationem valdè quadrant. Ut
enim Græci scriptores, de quodam facto loquentes, idq; justum
& æquum judicantes, usi sunt verbo δικαιουν: Ita Theologi idem
ad personas transferunt, ut, quando personam coram aliquo
justificari dicunt, nihil aliud significare velint, quàm quod pro
justa habeatur, censeatur & declaretur. Sic etiam Aristotelica
acceptio, ad hanc Theologicam potest accommodari. Nam li-
cèt Philosophus utens hoc verbo, loquatur de ejusmodi Justo,
qui in hærenter justus est: Theologus verò de eò, qui in hærenter
malus est: atque sic maxima sit differentia: Nihilominus qua-
dam adhuc convenientia datur. Nam 1. quemadmodum Ari-
stotelica acceptione δικαιουν dicitur, cui in foro politico suum
tribuitur, hoc est, justus pronuntiatur & absolvitur: ita acce-
ptione Theologica δικαιουν dicitur, qui in foro divino, à Deo
absol-

absolvitur, & à pœna liberatur. 2. Deinde, quemadmodum in acceptione Aristotelica non significat justitiam infundere, sed aliquem sententiâ latâ justum judicare: Sic quoque in acceptione Theologica, tantum justum judicare significat.

XLVIII. Atque sic demonstratum est, interpretationem nostram Lutheranam & orthodoxam verbi *justificare*, apud auctores Græcos probatissimos reperiri: Papisticam verò planè incognitam esse.

XLIX. Nunc ad Scripturas sacras transibimus, & quidem primum in Veteri Testamento ad Ecclesiasticum, qui Græcè scripsit, cap. 1. v. 28. *Non poterit incundus vir δικαιωθῆναι justificari.* cap. 7. v. 5. *Ne δικαιῶς te justifices coram Domino.* cap. 13. v. 26. *Dives locutus est arcana, & ἐδικαιώσαν αὐτὸν justificarunt eum.* cap. 23. v. 14. *Et si in vacuum juraverit, & δικαιωθήσεται, non justificabitur.* cap. 31. v. 5. *Qui diligit aurum, non δικαιωθήσεται, justificabitur.* &c.

L. Objicitur hîc cap. 1. Ecclesiastici v. 18. *Religiositas custodiet atq; justificabit cor,* Item v. 22. cap. 18. *Non verearis usque ad mortem justificari.* Verùm responsio est expedita ad primum, verba illa in Græco atque authentico textu planè non reperiri: versu quidem 28. haberi, verùm ibi significationem forensam habere, jam ostensum est. In posteriore verò loco, Græcum, *δικαιῶν* non notare justitiæ infusionem, per se est planum. Hic ergò Syracidis sensus est: *Ne differas pœnitentiam tuam usq; ad mortem, sed hodie age pœnitentiam, ut hodie quoq; justificeris.* Atq; sic omninò retinet propriam suam significationem.

LI. In Novo Testamento infinita ferè occurrunt exempla. Matth. 12. v. 37. *ex verbis tuis vel justificaberis, vel condemnaberis,* id est, vel justus declaraberis, vel injustitiæ convinceris. cap. 16. v. 15. *Vos estis, qui vos justificatis coram hominibus:* id est, qui vosmet ipsos justos pronunciatis, cap. 18. v. 14. *Descendit justificatus,* (id est, à DEO absolutus,) *in domum suam.* Rom. 2. v. 13. *Factores legis justificabuntur.* cap. 13. v. 20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* v. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Rom. 4. v. 2. *Si Abrahamus ex lege justificatus fuit, habet quod gloriatur,* &c.

LII. Objicit Bellarminus, lib. 2. de justificatione, cap. 3. dictum Apoc. 22. v. II. *Qui justus est, justificetur adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc.* Et addit Jesuita: *Hic locus nullo modo potest accipi more forensi.* Sed falsa persuasio est. Est enim in hoc loco diversa lectio, nam in paucis Græcis codicibus, & forsitan tantum in unico est *δικαιοσύνην ποιούτω*, uti etiam in nonnullis Latinis versionibus, *justitiam faciat.* Lectionem hanc servatus videtur Cyprianus, qui hunc locum in suo libro de bono patientiæ ita est interpretatus; *Qui perseverant nocere noceant, & qui in sordibus est, sordescat adhuc: justus autem adhuc justiora faciat.* Cæteri verò codices Græci omnes legunt *δικαιοσύνην justificetur.*

LIII. Si respiciat Bellarminus primam lectionem, tum ipsius sententiam nihil juvat. 1. Quia in ea non habetur verbum *δικαιοσύνην* 2. Non potest etiam id significare, quod urget Bellarminus, sed tantum justitiæ opera edere. Si autem velit sequi lectionem posteriorem, neq; tum suam probabit opinionem. Potest enim ita locus hic de justificationis continuatione intelligi: uti id Græca dictio *ἐν* indicat. Tanta enim carnis est imbecillitas, ut, licet justificati, quotidie tamen in multis labamur, hincq; quotidie opus habeamus justificatione & peccatorum remissione; utpote pro qua etiam orabit omnis sanctus, Psal. 32. v. 6. quamq; quotidie in oratione dominica petimus. *Pater noster, dimitte nobis debita nostra.* Sensus ergo est: *qui peccatorum suorum remissionem consecutus est, pergat delicta sua, ex imbecillitate carnis commissa, agnoscere, veniam illorum humiliter petere, & sic instare, ut & illa sibi remittantur: ut ita in ipso sit continua pœnitentia, & quæ illum sequitur, continua justificatio.*

LIV. Deinde objicit locum, 1. Cor. 6. v. II. *Et hoc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in spiritu Dei nostri.* Ubi dicit Bellarminus justificationem ita explicari: ut duo ista, nempe abluitionem & sanctificationem in se contineat, proindeq; habitus infusus significet.

LV. Sed respondemus: Nullum omninò fundamentum

G

in

in allegato dicto, istius explicationis ac illationis demonstrari posse. Quandoquidem justificatio hic à cæteris distinguitur potius, & non ut unum totum, cujus præcedentia partes sint, ponitur. Si enim totum aliquod constitui hic deberet, id non esset justificatio, sed ablutio. De hujus enim vocabuli significatione rectè dici potest, quod utrumq; illud beneficium, nimirum justificationem & sanctificationem, complectatur. Ut Oratio hæc Paulina Schema Rhetoricum *μεγαλον* in se contineat, quo fit regressus à toto ad partes. Quandoquidem postquam Apostolus in genere dixisset, *abluti estis*, modum illius ablutiois statim subjicere volens, specialis explicationis ergò, justificationis & sanctificationis vocabula subjungit. Deinde verba hæc cum præcedentibus conjungantur, atq; tum apparebit, Apostolum Paulum invicem conferre statum Corinthiorum præsentem & præteritum, & tria hæc verba opponere triplici antecessæ accusationi: Eratis sordibus peccatorum polluti, nunc verò sanguine Christi abluti: Eratis injustitiâ, fornicatione, avaritia contaminati, nunc per fidem sanctificati: Eratis propter peccata illa damnationis rei: At nunc estis justificati: Non sanè per infusam vel inhærentem justitiam: sed in nomine Domini nostri Jesu Christi: Haud secus atq; Paulus inquit Tit. 3. v. 3. *Eramus quondam & nos increduli: cum autem, benignitas apparuit Salvatoris Domini nostri, non ex operibus justitiæ, que facimus nos, sed secundum suam misericordiam.* Nequaquam igitur in objecto dicto Pauli justificationis verbum habitus infusus significat, aut sanctificationem in se continet.

LVI. Tertiò objicit Bellarminus, ex cap. 3. ad Rom. v. 24. *justificamur gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, que est in Christo Jesu, quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Addit Jesuita: hoc loco simul explicari ferè omnes causas justificationis. 1. Causam efficientem, que est Dei liberalitas, ex qua sola justificamur, cum nullo nostro merito mereamur justificari. Atq; hæc causa exprimitur primis verbis: *Justificamur gratis*, 2. Causam formalem, que exprimitur termino *per gratiam ipsius*, id est, (addit Bellarminus) *per justitiam ab illo donatam & infusam*. 3. Causam meritoriam his verbis, *per redemptionem, que est in Christo Jesu.* 4. Causam

4. *Causam dispositivam, quæ ultimis verbis continetur: justificamur per fidem in sanguine propitiatoris.*

LVII. Ut autem de posterioribus causis priori loco agamus, concedimus, redemptionem, quæ in Christo Jesu est, significare causam meritoriam. Fidem autem in Christum esse causam dispositivam, falsum est; Verum contra, esse causam apprehensivam, qua justitiam Christi apprehendimus, & nobis applicamus. Deinde per voces *δορεαυ* & *χαρις*, duas distinctas causas, proindeq; vocabulo *χαρις* significari gratiam infusam, id subjectæ rationes nequaquam probant.

LIX. Prima ratio est: quia favor Dei jamdudum satis explicatur per vocem *δορεαυ*, gratis: Quare additio illa *ἢ χαρις* per gratiam, non ipsum favorem significare potest, sed aliud aliquid, id est, effectum illius favoris, qui nihil est aliud, quàm justitia infusa.

LIX. Negamus antecedens. Nam vox *δορεαυ*, gratis, non satis visa est spiritui sancto explicare Dei favorem: quippe quæ distinctè & formaliter favorem Dei non dicit; sed tantum quod gratuita nostra sit justificatio, & favore aliquo nobis obtingat, generaliter & confuse significat: cujus autem favore id fiat, distinctè non explicat: Quare ut distincta & sine omni obscuritate & ambiguitate esset oratio, nostra conscientia certa esset & ἀμετάνολος, quod solius Dei favore, *Φιλανθρωπία* & *χαρις* gratuita illa justificatio nobis obveniat, addere voluit Apostolus, & distinctè subsequentibus verbis indicare ac docere, quod justificemur gratis *ἢ αὐτὴ χαρις*, gratia sive favore ipsius, hoc est, Dei, idq; per redemptionem, quæ in Christo Jesu facta est. Quæ est addita ratio, quare gratia Dei gratuitam illam justificationem, in nobis sine læsione justitiæ, verè præstare queat. Quia nimirum redempti sumus per Christum, redemptioneq; illa pro peccatis in nobis in hærentibus, legi & justitiæ divinæ satis factum est. Quare ad eam respiciens Deus, gratia sua & misericordia nos à peccatis gratis absq; meritis & operibus, justitiæq; nostra absolvit, & imputando per fidem justitiam Christi justificat: quippe qui nos in Christo *ἐχαρίτωσεν* Eph. i. v. 6. Et Christum (ut hic loquitur) proposuit propitiatorem per fidem in sanguine suo, non per fidem in justitia nobis in hærente.

Quare etiam dictiones illæ hîc ita sint conjunctæ, ut una limitet alteram, proindeq; omne meritum excludatur. De Josepho dicitur, Genes. 39. v. 4. *Invenit gratiam in oculis Domini.* Sed statim additur: *quia erat vir fortunatus*: hoc est, Potiphar diligebat Josephum propter excellentes virtutes, quas in ipso animadvertibat. Quare ne quis opinaretur, eodem etiam modo nos gratiâ Dei diligi & justificari, addit Apostolus vocem hanc *gratis*, ut ostendat, nullum omnino in nobis meritum, nullam prorsus vel levissimam causam esse vel merere, cur Deus nos justificet, sed potius promeruisse nos pro justificatione condemnationem, mortemq; æternam. Certum ergo & perspicuum est, quod additio illa *per gratiam* ipsum Dei favorem significet, cujus effectus est justificatio nostra.

LX. Clara hujus vocabuli explicatio exstat, Joh. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum.* Et ad Eph. 2. v. 4. & seqq. *Deus qui dives est in misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, & cû essemus mortui per delicta convivificavit nos unâ cum Christo, (per gratiam estis servati) simulq; cum eo sedere fecit inter cœlestes in Christo Jesu: ut ostenderet in seculis supervenientibus, eminentem opulentiam gratiæ suæ, benignitate erga nos per Christum Jesum. Gratia enim estis servati per fidem, (idq; non ex vobis, Dei donum est,) non ex operibus, ne quis gloriatur.* Ubi sanè quid gratiæ appellatione in hoc negotio vult intelligi Paulus, evidenter exponit, nempe copiosam & multam charitatem Dei, qua dilexit nos. Item opulentiam eminentem gratiæ ipsius: item benignitatem ejus erga nos per Christum.

LXI. Quemadmodum etiam hanc ipsam gratiæ Dei vocem, aliis æquipollentibus explanat Paulus, dum eam vocat *ἀγαπὴν καὶ φιλανθρωπίαν Θεοῦ*, hoc est, *bonitatem Dei & erga homines amorem*, cum sic scribit, Tit. 3. v. 4. *Sed postquam bonitas & erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei: non ex operibus justis, que fecimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos.*

LXII. Secundam rationem sumit Jesuita à præpositione, per quam putat non rectè accommodari favori & benevolentia, sed cause formali, aut meritoria, aut instrumentali. Non enim rectè dicemus, *Deus per suum favorem, aut benevolentiam nos justificat, rectè autem*

autem dicimus per gratiam inhaerentem, per meritum Filii sui, per fidem & Sacramenta nos justificat.

LXIII. Respondemus I. In Græco non est *Per*. Nam non dicit Paulus *Διὰ τῆς χάριτος* per gratiam, sed simpliciter τῆ χάριτι αὐτοῦ, seu, gratiâ ejus, id est, Dei. Et si vel maximè præpositio *Per*, sive *Διὰ* hic haberetur, nihil tamen efficeret Jesuita. Quandoquidem vocula illa non minus causæ principali rectè accommodari potest, quàm instrumentali; Joh. 1. v. 3. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Omnia per ipsum facta sunt, item v. 10. καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Ubi sanè non agitur de causa vel meritoria vel instrumentali, sed principali, utque in locis subsequentiibus, Joh. 6. v. 57. Ego vivo διὰ πατέρα, propter patrem; ita & qui edere me, vivet ipse quoque δι' ἐμέ, propter me, Joh. 14. v. 6. Nemo ad me venit, nisi δι' ἐμῶν, per me &c. Neque exempla defunt, ubi ipsi quoque favori & benevolentia, misericordiaque divina accommodatur, Luc. 1. v. 78. Διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, per viscera misericordiae Dei, Gal. 1. v. 15. Deus vocavit nos διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ per gratiam suam. Ubi sanè gratia non potest non significare favorem seu Φιλαθεωπία Dei.

LXIV. Tertiam rationem sumit Bellarminus ab efficaci benevolentia Dei. Benevolentia Dei, inquit, non potest esse inanis, sed omnia prestat & efficit ad bonum, quod alicui vult. Idque multis probat, Deus omnia facit quæ vult, quia omnipotens &c. Sed quid hoc ad nostram Andromachen? Concedimus libenter benevolentiam divinam erga nos, in rebus non otiosam esse: largimur ultrò Deum omnia facere, quia velit: damus ambabus manibus, Spiritum Sanctum in homine, qui justificatur, novas operari qualitates. Isthæc & similia, sunt extra omnem planè controversiam. In quæstione manet, an Deus benevolentiam suam voluntatem, in Scripturis sacris ita nobis revelaverit, ut inde intelligamus, & certi simus, ipsum velle per infusum justitiæ habitum nos justificare, & an in illis qualitatibus, motibusque novis, consistat nostra coram Deo valens justitia. Quod v. ex hoc loco nulla consequentia probabitur. Quandoquidem hæc opinio Jesuitica de qualitatibus infusis, hic tanto minus locum habere potest, quod pugnet

gnet eum significatione vocabulorum, *gratis ac gratia*, ut quidem hic usurpantur: Sicut jam probatum.

LXV. Unde nihil porro probatur dictis à Bellarmino allatis: *Elegit nos ut simus sancti & immaculati in conspectu ejus*, Eph. 2. *Ergo sumus justi, vel justificamur, in nobis per infusam justitiam*. Quæ enim ratio huius consequentiæ, Jesuita? Nam sanè à sanctitate ad justitiam nostram coram Deo, est argumentari à baculo ad angulum, sanctitas pertinet non ad justificationem, sed ad hujus consequens, innovationem spiritus, quæ in nobis non per opera coram Deo justificandis, sed jam antea fide justificatis, fructus illos justitiæ profert. De quibus loquens Apostolus, proposito nobis Abrahamo credentium patre: *Si Abraham, inquit, ex operibus justificatus fuit, habet, quod gloriatur, at non apud Deum*. Quare rursus quærimus, quæ consequentia: *Electi sumus, ut simus sancti; Ergo Electi sumus, ut in hærente sanctitate & justitia justificemur*. Cur non potius hoc sequatur: *Electi sumus ut simus sancti, Ergo electi sumus, ut in novitate vitæ ambulemus?* uti etiam ad id regeneramur & justificamur teste Paulo, Rom. 6. v. 3. & 4. Fructum ergo justificationis tanquam ultimum non ipsam justificationem, indigitat allegato loco Apostolus, uti etiam ad Eph. 5. v. 27. *Ut illam, (Ecclesiam) sanctificaret mundatam lavacro aquæ per Verbum*. En hic expressè docet, quomodo illa fiat sanctificatio, ad quæ electa est Ecclesia, nimirum, ita ut prius mundata sit lavacro aquæ in verbo, quæ mundatio fit per regenerationem, quæ fit per justificationem; quam postea sequitur sanctificatio, adeò ut non per sanctificationem Christus abluat, absolvat & justificet: sed potius per abluitionem, absolutionem, & justificationem sanctificet.

LXVI. Si autem Jesuita verba illa, *sancti & immaculati*, velit interpretari de justificatione, urgemus illud, quod Apostolus notanter dicit, *ut essemus sancti & immaculati*, non in nobis, sed *in conspectu ipsius*. Hoc est, ut, licet haberemus peccata, essent tamen tecta, tecta nimirum applicatâ justitia Christi, ut po-
te san-

te sanctissima: quæ efficiat, ut in conspectum Dei peccata nobis inhærentia non veniant, sed splendor alienæ, nempe Christi justitiæ summus & sanctus, nos justos & sanctos in conspectu Dei constituat, non habentes maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut simus sancti & irreprehensibiles, *Ephes. 5. v. 27.*

LXVII. Adducit etiam Bellarminus, 1. Thess. 4. v. 3. *Hec enim est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Neque illo loco quicquam agit Apostolus de justificatione, sed de vitæ emendatione, & sic rursus de novitate vitæ, in qua ambulare debemus: ad hanc hortatur, & à contrariis vitiis dehortatur. Quare conjungit hæc Paulus: *Hec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis à scortatione, ut sciat unusquisq; vestrum vas suum possidere in sanctitate & honore, non cum effectu concupiscentiæ, quemadmodum gentes, quæ non noverunt Deum.*

LXIX. Agit ergo hoc loco Paulus de voluntate Dei, juxta quam vitam nostram instituere debemus: & non de omni voluntate Dei. Quandoquidē Deus noster voluntatem suam, in verbo suo nobis aperuit, non tantum quid à nobis fieri velit, sed etiam quid velit à nobis credi. Sic Joh. 6. v. 40. *Hec est voluntas Dei, ut omnis, qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Hic verò: *Hec est voluntas, sanctificatio vestra.* Nos igitur dictis his contra Pontificios uti possumus, quod & formandæ fidei, & instituendæ vitæ regula sit, non bona intentio nostræ, quam præsumamus ipsi, vel aliis dicemus ex nostro arbitrio, quid in negotio salutis credendum sit, quemadmodum Pontifex Romanus importunè factitat: aut regulas certas producimus, juxta quas nobis videndum esse putemus, quemadmodum Monachi juxta regulas ab hominibus excogitatas vitam suam monasticam instituunt: sed utriusque recte componendæ norma & forma esse debet voluntas Dei. Is autem vult in Christum sincere credere, & ex præscripto suo pie & sancte vivere. Neque enim omnis, qui in novissimo die dicet, *Domine,*

mine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris, qui in cœlis est, *Matth. 7. v. 21.* Probemus ergo quæ sit voluntas, non Pontificis Romani, sed Patris cœlestis, *Rom. 12. v. 2.* Probemus, in quam, quid acceptum sit Domino *Eph. 5. v. 17.* Et quod nobis superest in carne tempus, id porro non concupiscentiis hominum, sed voluntati Dei vivere meminerimus, *1. Pet. 4. v. 2. & 3.*

Ad cœtera dicta, quæ hîc allegantur à Bellarmino, respondebimus infra, acturi de formali causa Justificationis,

SOLI DEO SIT GLORIA.



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092



SB

Repro

VD 77







18

I SECUNDI
Confessionem

ARTIO III.

tinens
ARTICULI IV.

De

JUSTIFI-

RE,

posita

Academiâ VVittebergensi,

SIDE

ARTINI, SS. Th.

rimario, Facult. Theol.

pli Arcis Præposito.


ONDENTE

PO REUTZIO

o-Pomerano.

ditorio Collegii Veteris

em 19. Julij.



EBERGÆ,

OMONIS AVERBACH,

M DC XXIX.

